



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. II. An Christus sit Author & Institutor Sacramenti Pœnitentiæ, & quo
tempore facta fuerit ejus institutio?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

admissa remittuntur: Ergo non indigemus sacramento Pœnitentiæ, distincto à Baptismo, ad obtinendam remissionem peccatorum, sed ad hoc sufficit Baptismus in memoriam revocatus, per quam excitetur fides quæ peccata remittuntur. Unde Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 30. vocat Baptismum, sacramentum fidei & pœnitentiæ, juxta quod in Evangelio scribitur de Joanne Luca 3. quod venit prædicans Baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum.

22 Respondeo, D. Augustinum tribuere Baptismo non solum præterita, sed etiam post ejus susceptionem admissa peccata tollere, non proximè, sed remotè & radicaliter, quatenus per Baptismum, qui est janua omnium sacramentorum, capaces reddimur ad recipiendum sacramentum Pœnitentiæ, si peccavimus. Quod verò hæc interpretatio legitima sit, patet ex his verbis quæ addit ibidem: Quid enim prodesset vel ante Baptismum pœnitentiæ, nisi baptismus sequeretur, vel postea, nisi præcederet? Tum etiam, quia Epist. 23. aperte docet, aliquod sacramentum à Baptismo distinctum, necessarium esse ad delenda peccata, post baptismum commissæ, ait enim: Si parvulus baptizatus, grandævus factus, propria inciperit habere peccata, per quam gratiam remittentur: Non regeneratione, sed aliâ curatione resarciri possunt.

Ad Fulgentium verò facilè respondetur, idè appellare Baptismum, sacramentum Pœnitentiæ, quia ad us aliquis virtutis pœnitentiæ, necessarius est ad legitimam illius susceptionem, respectu adultorum qui mortaliter peccarunt antequam baptizarentur, ut colligitur ex Act. 2. ubi Petrus ait: Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum, &c.

23 Objicies sextò: Sacramenta novæ legis non differunt ut talia, nisi ex diversitate gratiæ quam significant & causant: Sed gratia quam significat & causat sacramentum Pœnitentiæ, non est diversa ab illa quam significat & causat Baptismus, est enim sicut ipsa, regenerativa, quandoquidem tribuit vitam peccatori, ipsam non habenti: Ergo pœnitentiæ non est sacramentum distinctum à Baptismo.

24 Respondeo, concessâ Majori, negândo Minorem, & ad illius probationem dico, gratiam quæ est effectus sacramenti Pœnitentiæ, reduplicativè ut talem, non esse regenerativam animæ ad vitam supernaturalem: Quare sicut generatio & suscitatio, sive resurrectio, differunt essentialiter, ex diverso modo communicandi eandem vitam; Ita Baptismus & pœnitentiæ differunt ex diverso modo communicandi eandem entitativè gratiam, sive vitam spiritualem, scilicet regenerando & suscitando animam.

ARTICULUS II.

An Christus sit Author & Institutor Sacramenti Pœnitentiæ, & quo tempore facta fuerit ejus institutio?

§. I.

Premittitur quod apud omnes est certum, & referendum sententiæ.

25 Certum est sacramentum Pœnitentiæ, quale nunc habemus in Ecclesia, non fuisse institutum in lege naturæ, vel in lege Mosaica;

A quia ut ait Divus Thomas hic art. 7. ad 1. dum erat instituta potestas clavium, quæ à Christo derivatur, & per consequens non datur institutum quod aliquis doleret de peccato, ante ipsius subiiciendi se per confessionem & satisfactionem ecclesiæ, sub spe consequendæ remissionis Christi. Unde quamvis in lege naturæ & in lege Mosaica fuerit aliquod sacramentum in remedium peccati actualis, ne delectaretur idem S. Doctor in 4. dist. 1. quæst. 1. quæst. 3. ad 2. art. 2. illud tamen erat diversæ rationis & speciei à sacramento Pœnitentiæ legæ prædictæ. Hoc posito, duo in præsentem resolvenda sunt. Primum est, quis sit Author & Institutor sacramenti Pœnitentiæ quod nunc habemus in lege Evangelica, an Christus vel Ecclesia, an Apostoli? Secundum, supposito quod Christus illud instituerit, quo tempore facta sit ejus institutio?

Circa primum Hæretici nostri temporis absolute negant, sacramentum Pœnitentiæ institutum fuisse à Christo Domino. Aliis verò 2. part. quæst. 18. art. 2. D. Bonaventura in 4. dist. 17. parte 2. art. 1. quæst. 3. & Marsilius in 2. quæst. 2. art. 2. docent sacramentum Pœnitentiæ fuisse quidem à Christo institutum, quantum ad formale, seu quantum ad potestatem absolvendi, sed non quoad materiale, seu quantum ad ipsam peccati confessionem, ex qua sacramentum instituitur; quam dicunt fuisse tantum institutam à Christo Domino, & ab Ecclesia & Apostolicâ institutam, atque à Jacobo promulgatam veteri illis: Confitemini alterutrum peccata vestra, Jacobo 5.

Quantum verò ad secundum, scilicet quod determinatum tempus in quo celebrata fuerit institutio sacramenti institutio, diversa sunt Theologorum placita: Armeanus enim lib. de confessionibus Armenorum cap. 14. & 15. attribuit illi institutum Matth. 12. & Lucæ 6. dum Christus misit Apostolos prædicare Evangelium, & diminutâ potestate incederent. Author verò de operibus Cardinalibus apud Cyprianum, facti de ablutione pedum, innotuit fuisse institutum in nocte Cænæ. Alii existimant fuisse institutum dum præcipitur à Christo Matth. 4. Alii quando declaratur medium necessarium ad salutem Lucæ 13. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes vos peribitis. Alii demum cum Christus post resurrectionem dixit Discipulis Joan. 20. Accipite spiritum Sanctum, quorum remisistis peccata, &c.

§. II.

Primæ pars quæstionis resolvitur.

E Dico primò: Sacramentum Pœnitentiæ immediate à Christo institutum est, non solum quantum ad formale, seu quantum ad potestatem absolvendi à peccatis; sed etiam quantum ad materiale, seu quantum ad confessionem peccatorum.

Probatum primò ex Tridentino sessione 14. cap. 1. & canone 1. ubi sic dicitur: Si quis dixerit Catholica Ecclesia pœnitentiam non esse, & ipsam sacramentum, à Christo Domino institutum, anathema sit. At si aliqua pars hujus sacramenti, non esset immediate à Christo instituta, non posset totum sacramentum dici à Christo institutum. Ergo &c. Nec obstat quod Concilium quædam dicat hoc sacramentum esse à Christo Domino institutum.

immediatè institutum: licet enim explicite non utatur particulà *immediatè*, ex ejus tamen doctrina evidenter colligitur, tum quia non agnoscit alium Authorem sacramentorum, quàm Christum; tum etiam quia confessionem ipsam, de qua præcipue est controversia, docet ibidem c. 6, & Can. 6 esse ex Christi mandato.

Probat secundò ratione quam insinuat D. Thomas in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 1. quæstionc. 5. ubi sic discursit: *Ministri Ecclesiæ instituuntur in Ecclesiâ divinitus fundata, & ideo institutio Ecclesiæ præsupponitur ad operationem ministrorum, sicut opus creationis præsupponitur ad opus naturæ. Et quia Ecclesiâ fundatur in fide & sacramentis, ideo ad ministros Ecclesiæ nec novos articulos fidei edere, aut editos removere, aut sacramenta nova instituere, aut instituta removere pertinet, sed hoc est potestatis excellentiæ, quæ soli debetur Christo, qui est Ecclesiæ fundamentum.*

30. Confirmatur: Si quæ pars sacramenti poenitentiae esset ab Ecclesiâ instituta, in ea dispensare posset, quia dispensare potest in omnibus quæ ex ipsius potestate dependent: At in nulla parte sacramenti poenitentiae Ecclesiâ dispensare potest: Ergo nulla pars talis sacramenti fuit ab Ecclesiâ instituta, sed ejus institutio à solo Christo facta est, nullique alteri debuit committi, cum illa excellentiam maximam præ se ferat, scilicet omnipotentiam, quæ in remissione peccatorum refulget, juxta id quod in quadam collecta canit Ecclesiâ: *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miserando manifestas: cujus dicti tres egregias affert rationes D. Thomas, parte quæst. 23. art. 3. ad 3. his verbis: Dei omnipotentia ostenditur maximè in parcendo & miserando, quia per hoc ostenditur Deum habere summam potestatem, quod libere peccata dimittit; Eius enim qui superioris legi astringitur, non est libere peccata condonare. Vel quia parcendo hominibus, & miserando, perducit eos ad participationem infiniti boni, qui est ultimus effectus divinæ virtutis. Vel quia effectus divinæ misericordiæ est fundamentum omnium divinorum operum; nihil enim debetur alicui, nisi propter id quod est datum ei à Deo non debetur: in hoc autem maximè divinæ omnipotentia manifestatur, quod ad ipsam pertinet prima institutio omnium bonorum.*

31. Contra istam conclusionem objicit primò Calvinus: Primus qui confessionem instituit fuit Innocentius III. electus anno 1198. Ille enim in cap. *Omnis utriusque sexus*, annum confessionem præcipit omnibus Christi fidelibus, sub pœna quod vivens arceatur ab ingressu Ecclesiæ, & moriens Christianâ careat sepultura: Ergo sacramentum poenitentiae, saltem quantum ad confessionem peccatorum, non fuit immediatè à Christo institutum. Secundò objicit factum Nectarii Episcopi Constantinopolitani, qui ex Sozomeno confessionem abrogavit: Ergo confessio non est à Christo instituta. Tertio objicit Chrysostomum successorem Nectarii, qui multis in locis confessionem abrogare videtur, præcipue homil. 2. in Psalmum 50. ubi sic habet: *Peccata tua dicito, ut deleas illa: si confundaris alicui dicere quæ peccasti, dicito ea quotidie in anima tua; non dico ut confitearis ea conservo tuo qui exprobrat, dicito Deo, qui curat ea.*

32. Ad primum respondeo Innocentium III. solùm determinasse tempus annuæ confessionis, ejusque usum multò antea viguisse in Ecclesiâ, ut constat ex SS. Patribus: Irenæus enim lib. 1. ad-

Tom. V.

A versùs hæreses cap. 9. de quibusdam fœminis à Marco hæretico circumventis ait: *Ha sapissimè conversæ ad Ecclesiâ Dei confesse sunt.* Et libro 3. cap. 4. *Cerdon sape in Ecclesiâ veniens, & exomologesim faciens, sic consummarvit, modo quidem latenter docens, modo verò exomologesim faciens.* Tertullianus libro de poenitentia capite 9. *is actus, qui magis græco vocabulo exprimitur & frequentatur, exomologesim est, quâ delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione poenitentia Deus mitigatur: Unde sic concludit: Itaque exomologesim prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conversationem*

B *injungens misericordiæ illicem.* Et quod loquatur de confessione coram Sacerdote faciendâ constat ex his: *Plerumque verò jejuniis preces alere, ingemiscere; lachrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum; Presbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari.* Cyprianus serm. 5. de lapsis fideles hortatur; ut antequam vel ex hac vita discedant, vel ad sacram synaxim accedant, peccata sua Sacerdoti confiteantur: *Confiteantur singuli quæso vos fratres delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotem, apud Dominum grata est.* Et paulò superius de aliquibus peccatoribus ait: *Apud Sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentur, exomologesim conscientia faciunt: animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet & modicis vulneribus exquirunt.* Basilii in regulis brevioribus regulâ 229. *Ut vitia corporis nequaquam quibusvis temere homines aperiant, sed instantummodo qui rationem quâ ea curanda sunt teneant, eodem modo etiam peccatorum confessio fieri debet, apud eos videlicet, qui ea possint curare.* Et regulâ 288. explicat quinam sint hi qui possint à peccatis absolvere: *Is peccata aperire debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei.* Idque confirmat exemplo Apostolorum; ad quos (ut Actor. 19. legitur) multi credentes veniebant, confitentes & annuntiantes actus suos.

D Ambrosius libro 2. de poenit. cap. 6. *Si vis justificari, facere delictum tuum, solvi enim criminum nexum, verecunda confessio peccatorum.* Et cap. 9. scribit multos fuisse qui libenter confitebantur privatim Sacerdotibus, sed publicè in Ecclesiâ id facere recusabant. Augustinus homil. 12. inter 50. docet peccatorum confessionem esse à Christo præceptam, his verbis: *Deus noster, quia pius est & misericors, vult ut peccata confiteamur in hoc sæculo, ne pro illis postmodum confundamur in futuro.* Et homil. 41. probat hominem debere abstinere à peccatis, quia (verba ejus sunt) *si ad ultimum vita steterit, nescit si ipsam poenitentiam accipere, ac Deo & Sacerdoti peccata sua confiteri poterit.* Denique Chrysostomus, quem hæretici totum in hac materia suum esse gloriantur, apertè veritatem Catholicam docet: nam homil. 50. in Genesim expressam mentionem facit de sacramentali confessione, quæ in hebdomada Sancta fieri solebat: *Quia* (inquit) *in magnam hanc hebdomadam pervenimus, Dei gratiâ, nunc maximè & jejunii cursus intendendus, & magis continuanda sunt preces, faciendaque diligens & pura confessio peccatorum.* Quod verò ad illam Sacerdotis ministerium requirat, constat ex libro 2. de Sacerdotio, ubi sic ait: *Quamobrem multâ quidem arte opus est, ut qui laborant Christiani, alio sibi persuadeant; Sacer-*

Uu

doruni

dotum curationi sese submittere oportere. Et lib. 3. dicit Sacerdotes Leviticis non purgasse à lepra corporali, sed tantum de sanata lepra iudicium tulisse: Sacerdotes autem Evangelicos, non declarare solum, sed plane sanare à lepra spirituali.

Plura etiam sunt Concilia ante Lateranense celebrata, in quibus fit expressa mentio de confessione sacramentali, nempe Concilium Laodicense sub Sylvestro Papa celebratum; Cabilonense sub Vitaliano; Turonense, & Rhemense, sub Leone III. Moguntinum sub Leone IV. VVormatiense sub Adriano II. Ex quibus liquet, quam falsò scripserit Calvinus in Antidoto Tridentini sess. sexta cap. 15. per mille annos nullum fuisse usum confessionis sacerdotalis in Ecclesia, donec (inquit) Innocentius III. cum pauculis corvantis bestis (sic mille ducentos Patres qui Concilio Lateranensi interfuerunt, sanctitate & doctrinà conspicuos, impudens hæresiarcha appellat) laqueum hunc populo Christiano induit, quem Tridentini Patres adstringunt.

33. Ad secundum respondent aliqui, Nectarium à Novatianis hæreticis deceptum, quorum consilio in rebus ad fidem pertinentibus sæpe utebatur (teste Soerare apud Baronium anno 56. num. 28.) confessionem à sua Ecclesia sustulisse. Sed melius responderetur, Nectarium abrogasse solum quandam consuetudinem ad pœnitentiam publicam pertinentem, in eoque consistentem, quod manifestatio aliquorum criminum fieret de consensu ipsorum pœnitentium à quodam pœnitentiario ad hoc munus ab Ecclesia designato. Cum enim ex hac consuetudine laudabili, utpote ad correptionem & humiliationem pœnitentis, atque aliorum ædificationem instituta, ortum fuisset nihilominus scandalum quoddam ingens, tempore Nectarii, quia nimirum nobilis cuiusdam matronæ, publicè pœnitentiam agentis, crimen quodcum Diacono commiserat, manifestatum fuit; Nectarius prudenter munus illud pœnitentiarum, delicta scandalosa populo detegentis, sustulit. Vel ut alii volunt, publicam abrogavit confessionem; eo tempore coram multis fieri solitam, ut legimus apud Cassianum Collat. 2. cap. 11. & testantur Origenes homil. 2. in Psalm. 37. & Augustinus libro 50. homiliarum; homil. ultimâ capite 11. Hanc etiam sustulit Leo Magnus Epist. 80. ad Episcopos Campaniæ, his verbis *Illam etiam contra Apostolicam regulam presumptionem, quam nuper agnovi à quibusdam illicitâ usurpatione committi, modis omnibus constitui submoventi: ne de singulorum peccatorum genere, libellis scripta Confessio, publicè recitetur, cum reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari, Confessione secretâ. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, qua propter timorem Dei apud homines erubescere non veretur, tamen quia non omnium sunt huiusmodi peccata, ut qui pœnitentiam poscunt non timeant publicare: removeatur tam improbabilis consuetudo, ne multi à pœnitentia remediis arceantur, &c.* Sufficit enim illa confessio, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit.

34. De eadem publica confessione intelligendus est Chrysostomus, dum solam coram Deo factam confessionem admittere videtur. Quod verò hæc interpretatio legitima sit, & ad mentem illius, patet ex verbis illis: *Non dico ut confitearis ea confervo tuo, ne exprobet.* Hæc enim verba aperte significant, Chrysostomum loqui de

A confessione publica, ex qua approbrium & confusio pœnitentium sequi solebat. Id etiam constat ex homilia 4. de Lazaro, circa medium, ubi hæc scribit: *Cave enim homini dixeris, ut publicum proferas; sed ei qui dominus est, ei qui tuam curam gerit, ei qui humanus est, ei qui medicum esse ostendis vulvera.* Et infra indicit Deum sic cum pœnitente loquentem: *Non ego te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere testes molestum dic peccatum privatim, ut sanem ulcus, teque dolore liberabo.* Et homil. 31. in Epistolam ad Hebræos (ta) *tantum pompam in publicum proferas, ut te accuset; sed ut pareas Prophetæ dicenti, Accipe Dominò viam tuam. Apud Deum confitere, apud Iudicem confitere peccata tua, orant suam legem, saltem memoriâ.* Quibus locis solum intendi publicam confessionem abrogare, non verò secretam & auricularem.

Dices: Chrysostomus ita asserit confessionem non esse confervo faciendam, ut etiam addat, soli Deo eam debere fieri. Ergo excludit omnem confessionem homini faciendam, subindeque etiam secretam & auricularem.

Respondet Chrysostomus dum ait confessionem soli Deo esse faciendam, non excludere Sacerdotem, quia cum Sacerdos confessionem audiat, & à peccatis absolvat, ut Christi vicarius, non distinguitur ab ipso Christo, unde confessio facta Sacerdoti, soli Deo censetur fieri. C apud Tertullianum libro de pœnit. cap. 9. & Augustinum in Psalm. 66. videre est. Vel etiam dici potest cum Bellarmino, Chrysostomum non loqui de confessione prout ordinatur ad absolutionem sacerdotalem, sed quatenus habet rationem cuiusdam satisfactionis pro pena debita peccato, ad quem finem instituta erat publica confessio, ut nimirum pœnitens lucret penam penæ peccatis à se commissis debita, ratione delicti sollemnis confessionis quæ oriebatur ex publica criminum confessione. Vult ergo Chrysostomus, ad hanc satisfactionem faciendam, non esse necessarium ut homini peccatum aperitur, sed sufficere ut Deo cum dolore & lachrymis exponatur.

§. III.

Altera difficultas expeditur. Et quo tempore Christus sacramentum pœnitentiæ instituit, breviter declaratur.

Dico secundò, sacramentum pœnitentiæ institutum fuit à Christo post resurrectionem, cum verba illa protulit: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata &c.* Ioan. 20.

Hæc etiam conclusio est de fide, delinquit enim expressè à Tridentino sess. 6. capite 14. & sess. 14. capite 1. his verbis: *Dominus autem sacramentum pœnitentiæ tunc precipue instituit, cum à mortuis excitatus, in sufflavum in Discipulos suos dicens, Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Ratio etiam id suadet, cum enim sacramentum pœnitentiæ sit spiritali iudicii tribunal, tunc verè instituitur cum Sacerdotibus conferatur judiciaria potestas ad absolvendum vel condemnandum, juxta merita delinquentis: Sed potestas illa traditur Ioan. 20. verbis allegatis: Ergo

tunc solum instituitur sacramentum Poenitentiae, A
& non antea.

Si autem queras, cur Christus huius sacramenti institutionem post resurrectionem suam differre voluerit, cum tamen alia sacramenta ante mortem & passionem suam instituerit? Respondeo nullam aliam posse assignari rationem a priori, quam voluntatem ipsius instituentis, aliquas tamen posse afferri congruentias quarum praecipua est, quia resurrectio Christi est typus & exemplar perfectae justificationis, quae homo per poenitentiam resurgit a morte peccati. Unde Paulus ad Romanos 4. *Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram*; id est ut perfectum justificationis exemplar nobis exhiberet. Sicut enim Christus citò, verè, & perfectè, seu non iterum moriturus, resurrexit: ita peccator debet per poenitentiam citò a peccatis resurgere, neque eam differre, & verè ac sincerà poenitentiam ad Deum converti, atque ad vitam gratiae per eam revocatus & restitutus, non moriturum morte peccati, nec peccatum illi ultra dominari, juxta illud ejusdem Apostoli: *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*.

Contra istam conclusionem obijci potest: Tunc institutum fuit sacramentum Poenitentiae, cum potestas clavium Apostolis collata est: Sed talis potestas fuit ipsis collata Matthaei 18. ubi Christus illis dixit: *Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligatae in caelo, & quaecumque solveritis super terram, erunt solutae in caelo*: Ergo tunc fuit à Christo institutum sacramentum Poenitentiae.

Respondeo, concessà Majori, negando Minorem, & ad testimonium Matthaei dico tunc solum promissam fuisse Apostolis potestatem clavium ad remittenda vel retinenda peccata, nec de facto fuisse illis collatam usque post resurrectionem, cum Christus per insufflationem Apostolis tribuit Spiritum Sanctum, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata &c.* Cum enim (ut expendit S. Thomas Ioannis 20) remissio peccatorum fiat medià charitate, & Spiritus Sanctus sit charitas, non fuit convenientes Apostolos recipere virtutem remittendi peccata, quousque per mysticam illam Christi insufflationem Spiritum Sanctum recepissent. Quod si aliquis contendat Apostolos Matthaei 18. ligandi atque solvendi judicariam potestatem recepisse de praesenti, ut verba sonare videntur, dici poterit talem potestatem judicariam, non esse potestatem remittendi vel retinendi peccata in foro interno, sed esse potestatem ferendi sententiam in foro exteriori, & ad puniendos rebelles poenis & censuris Ecclesiasticis, ut docet S. Thomas super verba illa Matthaei; & colligit ex ipso contextu: nam ibi Christus posito praepcepto ordinis servandi in correctione fraterna, addit: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*, id est, separatus & excommunicatus, per sententiam excommunicationis latam ab Ecclesia. Ut autem appareat efficacia potestatis Ecclesiasticae ad hanc poenam inferendam, immediate subiungit Christus: *Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram &c.* Subdit S. Doctor: *Sic dicitur alligare, quia non solvit, vel quia excommunicat*.

Tom. V.

ARTICULUS III.

Quae sit materia & forma Sacramenti Poenitentiae?

Dico primò, actus poenitentis, nimirum dolorem de peccato & ejusdem confessionem ac pro eo satisfactionem, esse materiam proximam huius sacramenti; materiam verò remotam illius esse peccata actualia post baptismum commissa.

Prima pars huius conclusionis docetur expressè à Tridentino sess. 14. cap. 3. his verbis. *Sunt quasi materia huius sacramenti, ipsius poenitentis actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio, qui quatenus in poenitente ad integritatem sacramenti, plenamque & perfectam peccatorum remissionem, ex Dei institutione requiruntur, hac ratione poenitentia partes dicuntur*. Et Canone 4. *Si quis negaverit ad integram & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in poenitente, quasi materiam sacramenti Poenitentiae, scilicet contritionem, confessionem, & satisfactionem, & tres poenitentiae partes dicuntur, anathema sit*. Necte moveat, quod Concilium non appellat hos actus materiam, sed quasi materiam, nam ut ait Catechismus Romanus de sacramento Poenitentiae numero 14. *Non ideo hi actus quasi materia à Sancta Synodo appellantur, quia vera materia rationem non habeant; sed quia ejus generis materia non sint quae extrinsecus adhibeantur, ut aqua in Baptismo, chrismus in Confirmatione*.

Potest insuper eadem pars ratione suaderi: nam cum hoc sacramentum sit institutum per modum actus judicialis, ut colligitur ex Ioannis 20. & Matthaei 18. & docetur à Tridentino sessione 14. cap. 2. & 5, sicut in foro civili & externo iudicio, unus quidam est actus judicialis constans ex rei accusatione & defensione, & ex iudicis sententia; in quo actu sententia habet quandam rationem formae perficientis & complementis negotium in accusatione & defensione inchoatum: ita sacramentum Poenitentiae est aggregatum quoddam ex actibus poenitentis, reum & testem contra seipsum agentis, id est, seipsum sincerè accusantis, & per dolorem aptum ad reconciliationem, seipsum quodammodo defendentis apud Deum; & ex sententia Sacerdotis absolventis; in quo actus poenitentis habent rationem partis imperfectioris & praesuppositae, subindeque materiae; actus verò Sacerdotis absolventis habent rationem perficientis & complementis, adeoque formae.

Dices, Quod habet rationem materiae, debet praesupponi formae: Sed satisfactio non praesupponitur formae sacramenti Poenitentiae, sed potius eam subsequitur: Ergo non est materia proxima huius sacramenti.

Respondeo distinguendo Majorem: Quod habet rationem materiae, tanquam pars essentialis, concedo Majorem. Tanquam pars integralis, nego Majorem: Nam etiam in naturalibus, partes integrales nonnunquam superveniunt materiae per formam actuatae, ut patet in nutritione & augmentatione: satisfactio autem non est pars nisi integralis sacramenti Poenitentiae, ut constabit ex dicendis articulo sequenti. Addunt aliqui, satisfactioem, quatenus in voto & proposito in contritione includitur, praecedere ab-

Uu ij solu-